ISAGOGE
SEV
INTRODVCTIO
AD MORTEM,

PER

IACOBVM BRASSICANVM CΩL
Roterodamum jam recens
édita.

Hexaſtichon Cornelii Billici Sconoviani.

Cùm calcanda ſemel duri ſit ſemita leti,
Fatali ut ſerie ſtat ſua cuiq. dies.
O Mortale genus quid inevitabile Fatum
Tantoperè horreſcis, Te quod ubiq. manet?
Si cupis invictâ Mortem pietate ſubire.
Hunc lege, quò referas digna trophæa Deo.

GOVDAE,

Ex officinâ Zaſſeni Hoenii.

Anno CIƆ. IƆ. XXCVII.

SENECA EPISTOLA 20.

NEMO ſcit noſtrûm quàm propè verſetur Deus, ſic itaq. formemus animum tamquam ad extrema vētum ſit. Venientem nemo hilaris mortem recipit, niſi qui ſe ad illam diu compoſuerit.

IDEM EPISTOLA 28.

ASPICE illum, cui ſomnus laxæ domûs ſilentio quæritur, cujus aures ne quis agitet, omnis ſervorũ turba conticuit, huc nempe vagatur atq; illuc, ſomnũ inter ægritudines levem captans: Qui non audit, audiſſe ſe conqueritur. Quid in cauſsâ putas eſſe? Animus illi obſtrepit, hic placandus eſt, hujus ſeditio compeſcenda eſt.

HVGONI BRASSIC. CΩL FRATRI SVO, IACOB. BRASSIC. CΩL FRATER S. D. P.

GEnitis poſtquam ſtatim principia decreſcere, hæc enim eſt conditio Mortalium, & vitæ meæ plùs quàm dimidium me eſſe nactū animadverterem; quod Philoſophorum gravitate non ſolùm, verum etiam omnium hominū ratiocinatione probabitur: ad exemplar illorum, non qui hîc videri ſolent tam cæci, tam incogitabiles, tamq. excordes; ut numquā vel leviter de mor-

te cogitent, ſed eorum qui ſuâ ſapientiæ vi, inveſtigant facilè id quod futurum eſt; plurima tum de morte meditabar. Quid enim, incolumis mortē ni fuiſſem cogitans, ita eam exſpectarem ut ceteri. Sed quū ob oculos nihil æquè mihi ut ea perpetuò obverſatur, átque hinc illa ſum conſecutus favente numine, quæ mihi documento erunt per omnem vitam, tanta nō potui ſolus dulcedine frui. Quare ut amicus amicum in teſtamento ſuo ſæpè nominat, quia & poſt mortem haberi vult ſui memoriā, ita Frater, paucula quæ hac de re conſcribſi, nuper quadrage-

ſimali

ſi mali tempore, tibi ſanè Fratri germano, tamquam ex teſtaméto legatum, volui rèlinquere. Primùm ut bonus quilibet ex eo mutuã noſtram delectionem probet. Dein quã egregiè colimꝰ in vitâ, ſi mors hanc ſemel impediverit, memoria tum amicitiam firmet. Ridebis ventos & imbres hâc Iſagoge tectus. Qualiſcumq. eſt hujus libelli confectio, mihi ſanè jucũda fuit. Sic res eſt, morté ingruere, quam tu fortaſſe, cui ætatis nondũ ille flos adeſt, horres nimis, ego autẽ tantopere admiror, quum feſtinantis grande ſolatium fero. Quæſo, quid nobis mali erit

germane, moriamur? Quòd ſi tot animi paſsionibus expoſiti, immobiles tamen ac truces potius in voluptates, quã erga eas blandi fuerimus?

Componamus res noſtras, nunc hora eſt, virtutem pariter colamus, juſticiam laudemus, fidelitatem verò rem eſſe ſummam exiſtimem9, prædicem9 honeſtatem, morúmque probitatem, ad hæc induſtriam; aſpernemur autem omnia illa, vulgus q̃ adeò ſtudioſè ſequitur.

Néque hujus quoque mundi nos fallant præmia: vides ſatis, niſi lolio victitas, quid hîc ſit dignitas, quid ingens

gens illa divitiarum copia, quã plurimi adeò nefariè affectant. Nónne sunt inanes? Hujus nõ esse cupidum sapiétia summa, at illi9 esse emacem major dementia est.

Parvum munus offero, verum, sic parva preciosa gẽma est. Atqui præcipuam do totì9 nostræ Philosophiæ partem, quamquam non tam ex oblatis donis, quàm animo amicos pensamus. Ad amussim rimaberis, in tam parvo corpore multa invenies quæ delectabunt. Porro amantem tein vitæ finem redama fratrẽ. Vale. Deus Opt. Max. utriúsque largiatur Familiæ, quod

quod ſalutare ac bonum eſt.
Goudæ, ex noſtro horto decimo quarto
Kalen. Aug.
Anno
Milleſimo Quingenteſimo
Octuageſimo
ſeptimo.

**
*

Lectori Candido S.

QVAM vides, humanissime Lector, Isagogen volui conscribere, ut quilibet hæc nostra legens documentum caperet illorũ esse conjecturã fallacem, qui tantoperè voluptatibus indulgent. Cùm enim animadverterem q̃ plurimos homines illarum gratiã libenter vel ea facere, quæ summoperè dedecent, & contra se ipsos tandem factura videbantur, novam hanc animus ferebat doctrinam, contra hujus sæculi voluptates pestiferas, et mortis necessitatem præmunientem, in medium adferre. Quam autem scitè judicabis. Quòd si tibi oratio mea erit ingrata, parvam injuriam ac pati hoc leve dixerĩ: tantùm noli Brassicani Isagogen malam, bonã; vel rudem, politam dicere: ut contrà nihil moror istos Zoili more exclamantes, Ohe jam satis est ohe libelle. *Nam habet semper hoc ars nostra cum bonis Regibus commune, ut malè audiat, quum tamen fecerit benè. Alius, nihil fit hîc a te partitè, definitè, alius etiam, sanctè dicet, ac erit sæpe is ejusmodi, qui ad par negotiũ nõ magis quàm puer esset aptus, aut temeto prius aureum quàm atramento teruncium consuevit insumere. Sed ut intelligant abstinendã vim a litteris, pri-*

mùm cur in me voluntatem non prædicant bonã, quâ ad id quod postulant proximè accedo? Dein illi quod hîc non vident, præstiterunt alii multò, quàm ego possem, feliciùs. Nolo leonis exuvium induere, quò palàm fiat me Canthelion esse. Pro leone me non gero, aut illi exspectabunt, ut me rugientem audiant. Quid faciant; ita nunc vident animo placere meo. An utar orationis phaleris in re tam clarâ? Aut etiam sic inflatus & tumens erit animus mihi ut Sribturas allegabit? Si ad Scribturam legittimi vocati sunt, quid est quod profanus in ejus explicatione esse possim? Altiora sapiam, quàm par est? Vt isti me irrideant sutorem, quasi quid ego supra crepidam? Hoc mihi cum illis numquam fuit commune: vix hæc capiunt, & Scribturarum sibi volunt ut aperiam mysteria, quum ne mystagogus sim quidem? Quousq; perfidum hoc genus hominum omnem obloquendi potestatem usurpabit? Et præter hos, dispeream, ni aliquot. etiam audiam, vertentes mihi hoc vitio, quòd sine insignitiis in me notis eruditionis scribam, tamquam e re meâ non sit, & magnã pecuniam scribendo insumam, liberis ac familiæ quam æquum esset impendere. Obsecro; horum vim animumq; ferocem quis ferat? Sanè nihil cum Amaricino sui. Sed quî etiam aliter sapient, quibus tam cordi sunt omnis bonæ litteræ, quàm Scarabeus invisum

sum

sum habet unguentum. Quasi verò omne id periret quod studiis impendam. Dicite misopatrides, patriam civesq́ suos exosi, inquam dicite ranæ palustres, stryges, lamiæ, foris tantū oculati quotquot estis, at domi egregiè cæcutientes; vos alienam rem instituitis, dum adeò sæpe sinitis perire vestram? Jam recriminabor: Ohe jam satis est, ohe superbi. Tibi verò, Lector, censorio & numquam aliorum virtutibus invido, omniq́ studiis assiduè invigilanti viro, animo qui adeò est candido, ut præoptet rabiosos illos omnes perire, quàm vel honestum pusilli institutum, hanc meam operam impertior. Vale, ac fruere.

★ Semper candidè. ★

quamquam in ſcopulis ſæva ſedet; Quid enim, a malis abducit non a bonis, maximè eâ ratione, quod nihil eſt æquè miſerum ut homo.

Inſpicere tamquam in ſpeculum, de hâc re, veterum ſententias jubeo: qui profectò ſagacius hoc odorabantur, adeò ut M. Tullius a Sileno profectam hanc eſſe ſententiam ſcribat: *Optimum eſt non naſci, aut quã citiſſimè aboleri*, quòd in humanâ vitâ per ſe miſerâ & calamitoſâ, ad hæc uſq. adeò anguſtis circumſcribtâ terminis, incommoda tot naſci animadverteret. Quæ ſententia fortè minus placebit, quòd non naſci optimum non eſt, ſed veridicas, vis, adjungam cauſſas, juxta Sıleni animum? Multis ſæculis adeò verax id fuit Oraculum, ut hodie quoque & nos tamquam proverbium circũferamus: *Quem diligit Deus juvenem illum tollere*. Et Marcus Tullius ferat, Trophonio & Agamede exædificato templo Apollini Delphico, petentibus laboris ſui mercedem, nihil quidem ut certi, ſed quod eſſet optimum homini daret, tum poſt diem ab illo tertium mortem pro ampliſſimo beneficio dediſſe.

Precor ex ſublimi deſpice in terram & in hâc vitâ quantum virtutis vel nervorum

ſit

ſit vide . Tunc tanti facies vitam , voles hîc ut vivere ; quando ſufficit ad calamitoſi nomen ut homo ſis ? Quid enim ſi vitæ brevitatem ſpectabunt , nonne ob hoc ipſum eandem multi facient parvi ? Quòd ſi ob brevitatem vita hæc multis odio eſt, quantoperè deinceps aſpernabūtur ; ſi infinitis oppletam miſeriis demonſtravero .

Fuge , abi , de tali vitâ ſecede ,
quid etiam mori times ?
Inſanus, an Larvæ te modò átque intemperiæ agitant ?

Quòd ſi ſtudes illi ſemper prodeſſe , qui tibi vomicam aperuit , quam medici ſanare non valebant , cur refugias & reformides tale genus auxilii , quòd vitam inſuavem ceu Carcinoma purgabit ? Verùm an non tota , ꝙ ajunt , hulcus eſt brevis Mortalium vita, ſempiternam quandam & indeclinabilem ſeriem malorum ſecum ferens ? Id quidem ita eſſe declaravit Plinius , vitæ hujus adeò inſuavis breve ſpaciū ſcitè his verbis exponens .

Incertum ac fragile eſt hoc munus naturæ, quidquid da-

tur.

tur nobis. Malignum verò & breve; in iis etiam quibus largiſsimè contingit, univerſum utiq. ævi tempus intuentibus. Quid? Quòd æſtimatione nocturnæ quietis dimidio quiſq. ſpacio vitæ vivit: pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœnæ niſi contingit quies. Nec reputantur infantiæ anni, qui ſenſu caret; nec ſenectę in pœnam vivacis: tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curę, toties invocatâ morte, ut nullum frequentius ſit votum. Natura verò nihil hominibus brevitate vitę prętitit melius. Hebeſcunt ſenſus, membra torquentur, præ-

moritur

moritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborũ instrumenta; & tamẽ vitæ hoc tempus annumeratur.

Adde epigramma longè elegantissimũ Cratetis Cynici, ꝙ patentius & expeditius, quoquo etiam te vertas, plena esse malis omnia significat, ut nescias vitæ aliquot iter ingredi, quod humanitatis omnibus miseriis abstersis, salubre sit ac commodum.

Nam si vel forum sequutus, & in advocationibus multis existas cautior, vel quietus domi manseris, illic tibi adversarius litigator adest, ad nauseam usq. non ferenda verborum pugna, contentiosa & contumeliosa circumsonans; hic gravis semper tuarum rerum amplificandarum ob oculos est sollicitudo. Agricola eris, labores enecabũt continui. Si nauta præ freti periculis mente ac animo concidas. Suscepisti peregrinationem, rem esse senties solliciti plenam timoris, præsertim si pecuniarum suppetit usus; at ni id fit, vel æris pateris defectum, nõ benè cum egestate pugnabis. Matrimonii junctus es vinculo, ingens malorum æquor trajiciendum, quum si sobolem produces, laborẽ

labore quærenda educatio erit, at suscipies nullam, dolebis. Iam si cælibe vitâ nihil dulcius dices, præter impugnationem dolosi aërii militis acrem, nõ rarò etiam repugnando tu tibi eris contrarius.

Puer haut eras firmus. Adolescens instabilis nihil pensi habebas; huc & illuc oberrabas, & de rebus quæ supra nos sunt, temerarius errantem & vagam sequebare sententiam. Ex his jam longè perfectior contigit virilis ætas, sed q̃ amæna citius rosâ peribit. Pòst gravis ad te properabit senecta, magno & longo comitata malorum exercitu. O faciem vitæ mirè pulchram, specie (si Diis placet venustam, lætam, jucundam, immutabilem. Reliquum quid est, quàm ut non exigendam potius hanc vitam ducamus?

Fuge, abi, de tali vitâ secede; quid etiam mori times? Insanus, an Larvæ te modò átque imtemperiæ agitant?

Falò queror de fragilitate generis humani? Quæ vera dixi, contine tu optimè & tace, & si vana aut ficta sunt continuò palàm erit. Sed quid obstat, quo minus prædicta, vera videantur? Teneo: Metrodori est Epi-

gramma, Cratetis e diverso respondens. Fuit mirificus quidam in eo vitæ amor; ille utinam non modò non obesset tibi, sed etiam probitatis commendatione prodesset. Tantũ abest ut bene dixerit: *Quamlibet vitæ ingrediare viam, plurimam undiq; commoditatem blandiri.*

Nihilominus videamus, quæ huic nostro Commentatori, multis q̃sita lucubrationibus, tantopere sententia placet, ut istam improbemus, & impudentem & famosam esse ostendamus. Quod fiet perquam cõmodè, si exempla omnia proferam, per quæ ille peritus rerum hoc astruit. *Forum*, inquit, *ages, vel reos tueberis, vel in concionem orationem habiturus ascendes, magna inde accedet, vel fama vel gloria. At pari cum civibus jure vives privatus, quietus eris. Ruris eris amator, anni amœnitatem capies. Navigabis per æquora, rem non pœnitendam facies. Peregre proficiscentem cum nummatione, hospes suscipiet lætus. Nũmulorum nihil habebis, pudebit minus, & tuæ tibi eris conscius inopiæ. Ducitur uxor, quid cõmodius quam uxorium levamentum? Cum nulla contrahis, õnes curis exonerasti dies. Si tibi sunt nati, & quod ames, & unde ameris, erit. At orbam natis exiges ætatem, lacrymis & solitudine orbitas illa vacabit, quas sobolis mores*

non rarò patribus afferre solent. Atq; ut non nisi juventâ constat ille, qui quæritur, vigor, ita cani & rugæ in se pietatem commendant.

Mihi non fit verisimile, immo in voluptuarii scholâ natum videtur hoc dictum, atq. inde deductum in communem sermonem. Quis enim non videat vitam hic illi maximè caram fuisse, ut in cubilibus, stultis mulierculis, Ζωὴ καὶ ψυχή. Dignus certè qui notetur,& qui nihil roboris habere, nec constantiæ, nec sapientiam, nec virtutem revereri, mollitiemq. omnem in se tamquam penum congerere dicatur. O nobilis malorum depulsor; ex Alexiacis dæmonibus hic est, ita ex insuavi, vitam multò suaviorē facit. Insanit prorsus in præsentis vitæ delicias, ut in artem non nulli Alcumisticam; vel ex puro puto stercore tandē nugator magnam captabit voluptatem. Hoc modo vivet etiam benè, cui blanda & impura meretricula turpis voluptatis usum commendabit.

Sed Aurora ubi diluxit, consulta tu mecum. Ausculta, aliud dicam, quod mēte recondito. Quamlibet varia vitæ voluptas afficere videtur, eâ tamen arescit nihil prius. Figuli opes dixerim, ut si vel ōnis contingat, fragilis etiam sit ac neutiquam du-

ratura. Nempe omnis voluptatis flos caducus, ut de stipula nostra flamma est brevis. Si mihi non credis, experire: vix dum vitæ viam ingressis, gaudia quidem passim fluunt, sed citò transeunt, & pæne antequam vident auferuntur. Adeò umbris hic locus plenus est. Improba voluptas mortales manu quidem sua trahit, ac mira etiam tum serenitate splendet, sed ut suavi suo cantu illectos prætervavigantes Syren, in præsens naufragium deducit.

Neq. te fallit quod Socrates in Axiocho Platonis dixerit; vitam hominis esse peregrinationem. Audis? Extra Regionem tuam versaris. Quin te rationi glutinas, & viget in te mos patrius & disciplina; nullas hujus vitæ voluptates illa admittit. Cense ex Paradiso hic te esse advenam pauperculum, quò redire non licet quàm per Philosophiæ studium. Adeò demens eris ex peregrinis voluptatibus, ut orbitam illam deseras virtutis? Cur studiosè voluptates sequi voles, quas dum eris nactus, postmodum cogeris linquere? Videlicet, vel Herculea vis minimũ non servet ab interitu. Repugnando sibi est contraria humana vita, cujus voluptatem esse vides, ut Tantali hortos, quum non sit. Nonne omni argento & auro præstantior

ſtantior eſt, gloria virtutis? At tandē quoq. vel ipſa nulla erit. Memoranda ergo, quæ tanti Metrodorus facit? Magno circa hæc temperamento cuilibet opus eſt, quum nulla prorſus ſapienti voluptas major, quàm ſi hujus mundi caduca omnia deſpiciat & contemnat. Sępe ille fumi umbra non emat, q̃ tam magna hic apparent.

Quidam omnia vanitatē eſſe dicebat; vanitate autem ipsâ, quid in rebus magis poteſt eſſe inane? Miſera adeò hominum vita eſt, ut juxta nulla animantum, quæ vitales trahunt auras. Hinc veteres quamplurimi diligenter hanc vitam intuentes, vixiſſe nimio ſatius eſſe putaverunt quàm vivere. Et tu, revera, barbarico quodam cœno, demerſum animi oculũ cur non trahis, ſubvehiſq́ ſurſum? Monitis erudiendus es meis.

Fuge, abi, de tali vitâ ſecede, quid etiam? Mori times? Inſanus, an Larvæ te modò átque intemperiæ agitant?

Calvum vellis, quid ais? Ita totus ad hoc ſum indocilis. Nam elegans illa, ornatáque totius univerſi machina, viſu quâ

 nihil

nihil est jucundius nec pulchrius, tantoperè ducit volentem, ut prius in aquâ sementem feceris, quàm hortando & orando, in animum meum penitus intraveris. Me, quem Deus voluit vitam ducere sub Cælo, stulte, hinc evocabis? Cur illecebris cognitis, tu non refugis? Sudandum est prius mihi pro communi commodo. Tu age quod vis; at me sine splendorem Cæli intueri, clariorem vel quovis clipeo. Me certus siderum cursus delectat, cùm Cæli afficit calor, tum terra reficit mille modis. Iam decimum annũ parens in speluncâ jacet, ut etiam tu mihi meam vitam abrumpas, atq. in specũ quandam remoram, latebrosam, vastoq. immanem hiatu abscondas? Reste suspensum malim, saltem ut me tueatur Cælum, si nõ licebit vivere. Opulentiâ non pænitendâ, robore vivido, ætate sum integrâ, repente ut fiam cinis? Aut in monumentum egestâ arenâ condar? Nego me vivum sub terram iturum. Decem prius insuper compleam lustra. Maturè satis leti ad limen veniam, ubi natum unicum, bonum familiæ suæ esse propagatorem, & mearum opum hæredem adolevisse videbo.

Quàm seria sunt quæ dicis, res ipsa indicabit. Phocionissas, aut ex amphíteto bibisti,

bibisti; nam hæc si non meracius, totus non nisi malitiam clamitare videberis. Vtinam ex crapulâ illâ nihil sentires detrimenti, & mens ad otium integram se servaret, multò plura cùm certiora, tum meliora specularetur. Nunc onusta hujus mundi illecebris, perturbata tantùm & confusa cernit. Æger animus falsa pro veris videt. Suis quem tandem mundus blanditiis trahet ad verum errorem. An nescis, inescare homines? Hoc non patiar. Omnia sunt tibi bona dono cōcessa Dei, quod ignorare scelus est: Porro ex his, ad perfundendum animū, tamquam illiquefactas voluptates capere, non minus impium, quàm leve. Qui fingit sibi hîc voluptates, veram voluptatem amittet. Contrà quanto quisq. sibi plura negaverit, tanto plura a Deo feret.

Sed etiam ego hæc ariolor? An cæcam dices, rerum futurarum scientiam? An sentis tam varia & multifariam produxisse Deum, ut ad explendam animi tui libidinē hæc rapias? Cynosuram non imaginaris totoq. aberras cursu. Gravius aliquod agendū incumbit. Nam cum his tamquam hostibus ineundam statuit pugnam, nobis ut gravem, ita tamen non inutilem, quam non intelligis video. Deus creatis voluit hominem

 dominari,

dominari, quo magnum certè jus ac imperium in illum contulit. Sed rationis addidit habenas in indomitas & efferas illas animi cupiditates. Feroces ratione quòd si demergunt, excidisti imperio. Indictionis jus tum transfertur, quum te illis tamquam hostibus dedisti. Quàm turpe est Imperatoris nomen consecuto, munere tamen ejus non fungi? Et ad quem rei militaris pertinet sũma, hostibus servire? Dum ipse dedecori & turpitudini obedierit, Imperator õnino habendus non erit. Objecta species voluptatis, virtutis principium esse decet. Deo pollicitum in terrâ renuntiat turpiter obsequiũ, quisquis sequitur voluptates. Circa has mẽs hominis se exercere, non oblectare debet, quòd magnus ille rerum opifex inhibet. Et ulla rebus mortalibus voluptas inesse potest? Aspice quum humorem amiserint pertinaci vento, mala quàm vieta fiant. Hui quàm labilis tua juventa, ingens illud robur tuum quàm citò peribit? Vxorem habes, lubricum hoc quodcumq. est. Dives es argenti & auri; propriũ non possides, & si illud Deus repetat, totũ amisisti. Sed his omnibus mortis multò jucundior est recordatio, illa requies tranquilla piis, semita, finis, & terminus. Illa facit perpetui boni fontẽ visere lucidũ.

Felices

Felices qui pro ſimulacris verâ fruuntur voluptate, & dum in terrâ verſantur genus ſunt cælitum.

Hanc quiſquis poterit notare lucem;
Candidos Phœbi radios negabit.

Quid, quæſo, magis prodeſſe valent voluptates, quàm damnato a judice veſpertina cena, non minus lauta quàm nitida, in argento puro & antiquo? Mors ſola fatetur quantula ſint hominum gaudia. Pauliſper eſt libido, animo ſuo obſequi, jam aderit tẽpus cũ ſe etiam ipſe homo oderit. Morti creſcimus, judex illam in cauſsâ noſtrâ ſententiam dixit. Neq. nos ſolùm, ſed & omne ꝙ occaſus videt & quod ortus: Haut æterna vita cui eſt principium & finis.

Non ſemper ſtabit incolumis mũdus, nec omni in tempore idem erit. Alium tandem poſt illum videbimus, alium nepotes aſpicient, nulla quem ætas minuet, vel curſus fatigabit. Quid ſtercora ad hæc? Procul ab januâ projice foras.

Fuge, abi, de tali vitâ ſecede, quid etiam; Mori times? Inſanus, an Larvæ te modò átque intemperiæ agitant?

 Cur

Cur adeò palles? Non animam rapio, illam tibi concedo, serva. Sed demens mihi est, qui nullam voluptatem putat esse, bonorum nisi præsentium, nec ea judicat certiora, quæ immortalia esse creduntur. Hic autem vitæ angustæ & miserę festinat velox decurrere flosculus, quod nec ipsa pietas avertat. Siquidem fugaces labuntur anni. Huc adverte aures, abit ætas Rheno torrentior. Nulli stat diu vitæ aliquod spacium. Editus in lucem sine viribus vagit in cunis infans, paullò pòst reddit voces, & poplite instabili vix signat humũ. At puerili ævo succedit ephebia, mox valens prodire, properat juvẽta, inde medii temporis annos emeritus, redit in principium, per occiduæ iter senectæ; nam iterum puer, quisquis senescit, redditur. Postremò unda, quæ omnibus enaviganda & calcanda semel est, via leti. Quocumq. feras modò, ita fieri magna ratio est: Senectutis maturitas ubi vel appropinquat, vel advenit, indomita mors adest, Pegasæo gradu ingruens. Infantiæ ũt est ingressus, juvẽtę progressus, ita senectutis vitę exitus, nisi dabis hominem bis nasci posse. Gaudia jam hîc expetes? Præsentia citò labuntur, præterita ut non amplius viventem delectant, ita nec comitantur mortuum. Exemplis quid opus?

&

& nos brevitati ſtudemus.

Frumenta qui ſerunt, rubos falce reſecant, ut lætus ſit ager. Tu ſi ſemper gaudere vis quiete, noli pro bonis falſa amplecti. Ne ferare in vetitum, ſed Philoſophiâ reſectis omnibus animi paſſionibus, quæ horrẽdos dare ſonos ſolebant, tua te virtute involve: vera dehinc animũ virtutis ſubeant bona. Pulſis tenebris, atq. laſciviâ noctis a te deſertâ, gratius aſtra & pulchra illa dies lucebit. Per tranſverſa & pendentia voluptatis limina egredere, & quæ toto animo concũpiviſti, depone; tum vehemens ac ſeriũ ſtudium ſit φιλοσοφεῖν. Pellicem exige, cui uxor domi honeſta eſt. Et licet ruant venti cupiditatum & ſæviant procellæ, ut navem a turbine concitatam remora, ſic tantas vires ratione compeſce. Hæc ad maturitatem omnino aptiſſima ſunt gaudii perfecti, ut cõmutationes temporũ quadripartitę ad perceptionem frugum fructuumq. reliquorum. Sed quis Coricęus Dęmõ mea verba ſubauſcultavit, ſollicitiq. aliquid animo injecit, quia vultus Charontis atri dę horridis ornamentis adeò nitidus & plenus eſt: meritò cõturbet, ſed quid facias? An vitæ finis nullus erit, an finis vitę eſt principiũ? Vixiſſe quid eſt, quàm vitâ eſſe functum? Numquam hic

ſonus

ſonus tam gravis tibi auditus?

Longius aut propius, Mors ſua quemq́; manet.

Cur vitare vis mortem tamquam acerba quędam? Mori neceſſe eſt, idq. nos decet ſequi, ac ſemper agere pro viribus. Mortem optare malum, timere pejus eſſe, dixit Auſonius: unum demens eſt, alterum inobſequens. Nam quę major imperitia, quàm ulla de re vitam omnibus unicè caram velle amittere? Sed poſt collata peſſimè faciunt, qui abjiciunt obedientiam, & neceſſitati nō parent, cui ſubjecti ſumus omnes lege naturæ. Nemo enim perſuadeat homini non eſſe moriendum. Quod in nobis ipſis fieri videmus vel perſentiſcimus, huic æquum non eſt nos acquieſcere? Quid? Mentis ſimul ac roboris debilitatio, cęcutientes oculi, auriū ſurditas, odoratus amiſſus, palatum non guſtans, tactus ſtupidus, dentes ſecundò cadētes, artus tremuli, infirmi poplites, cor ut faba ita minutum, quod ab pharmacopolis adeò ſępe remediū poſcit; in nobis quid arguit aliud, niſi vitę diem fluxiſſe, jam advētaſſe Heſperum? Hæc ſi minus flectunt, ipſe Deus jubet te meminiſſe mortis, ut plenus ſpei bonæ atq. animi, adverſus rerum humanarum philtra proficiſcaris, & hanc ſpem cogitationemq́. tecū portans, cæleſtem urbem

ingrediare

ingrediare Hyerosolimam. Tali facto, quēadmodum aut cornu, aut ungula, aut stipite corporis titillationes animalia defricant, mētis tuæ fastidia deterges: videlicet nō cōcupisces, contēpsisti mori. Parvi ęstimat si hic pereat, quem in vita nullius rei seduxit amor: at pereundo, multò gravius is interit, qui voluptates coluit maximè. Vna est cathena quę nos alligatos tenet, amor vitæ, qui certo eget moderamine, ut si quando hora postulabit, nulla nobis mora obsit, quo minus faciamus, quod quandoq. faciendum est.

Egregia res est MEDITARI MORTEM, quin & hoc Philosophiæ summa est: libertatis amans hanc semper meditabitur, ac satius ducet ad illam transire, quàm eandem ad se. Etenim qui mori discit, servire dediscit. Nonne beneficium præstare volentem, stultitiæ execrabilis est indicium, subterfugere.

Quid tu ad hæc? O mutis piscibus taciturnior. Cur recusans exis? ingrati est nō esse contentū posito vitæ termino. Gladiatores (ait Cicero) invisos habemus, si omnimodo vitam impetrare cupiunt, favemus si contemptum ejus præ se ferant. Tu si trepidabis magis in te mors sęviet. Impavidus as si ferro porrigas ultrò jugulū, morieris expeditius,

ditius, quàm si cum morte gravem luctam habebis. Noli tergiversari, neq. unde veneris reverti sit grave. Cogita statim in conceptu, secundum naturam mori tibi esse conditum: vive ad formulam, monitisq. praeceptisq. conditoris tui, & illud quoq. praesta, quod praestare valde expedit. Cupiditati terminum fige, neq. eam longius quàm par est egredi permittas. Certè ut malè vivit quisquis mori non didicit, ita malè moritur quisquis non didicit bene vivere: Philosophia & mortem contemnit, & res humanas ridet, quia frugalis hîc immortalia non sperat. Siquidē ait Senec. OMNIA HVMANA BREVIA ET CADVCA SVNT, INFINITI TEMPORIS PARTEM NVLLAM OCCVPANTIA. Nihil in his est solidi.

Capis? An aures nec habeo nec tango? Extra solum ejectus, ob loci commutationem vehementer hîc dolet: tu qui exsulas patriâ, ad eam quò redeas non desiderabis? Carior patria nobis omnibus, quàm nosmet ipsi, sed non tantillum ducit te tua, ut ob exsilium suspires? Non arbitror. Est quidem sapienti, quævis terra patria, ita Socrates interrogatus, cujas esset, respondit se esse mūdanum, sed inter hoc atq. illud exsiliū multum

tum intereſt. Nam qui hîc exſules ſunt, a loco ad locum, e provinciâ in provinciam, ab ęrumnâ in ęrumnam mittuntur: tu verò in terram e Cęlo, ad infelicitatē a felicitate, ad miſeriam a beatitudine, deniq. ad mortē a vitâ receſſiſti. An ex lutulentâ hac vitâ, tantam, tamq. incredibilem tarditatem ingenii contraxiſti? Quin potius confirment te hîc actione ſuâ exſules, qui quamquam ad Lotophagos ire juſſi, ubi tam ſuavi herbâ victitant, meminére tamen, meminére, nec unquam amiſſę patrię obliviſci ſe ſinunt. Te verò vitio atq. libidine hîc ſtupentem, antiqui lares ad ſe revocare non valebunt? Cave ne amator mundus, dum hîc tecum voluptatem ſuam explet, in extremam te conjiciat miſeriam. Amicus quòd ſi tu eſſes tibi, calculum reduceres, neq. ſolùm his tam glorioſis conſiliis, verùm etiam utereris ſalubrioribus. Ne trepidandi auctor ſit affectus, ſed arripe negotii curam, tū ſi quid adhuc audebit, ſcuticam manu corripe. Ægrè adeò quòd in hac vitâ omnes undiq. floſculos voluptatis carpſiſti, avelli hinc potes? Quamquam raucus ſæpe vociferaberis, ne ſis mihi patruus, hujus tamē rei tibi cauſſam nō indiligenter aperiam, cur unà tu mecum hîc exſulas. An etiam cōmunem humani generis parentem a primâ

creſcentis mundi origine, non alium quàm nos pariter modò locum incoluiſſe credis? O ſi tibi principium noſtri generis, & culpam quæ derivat quoq. in nos & cum quâ communicamus, memorem quanta in iſto mentis tuæ receſſu videres, quanta audires, quanta etiam perciperes? Hâc remotâ reperiri exſilii noſtri origo non poteſt.

Ante multa ſecula in Eliſiis campis a Deo poſitus primus humani generis parens ſic viguit, ut meritò hunc poſteri tantam nactum felicitatem admiremur. Cedebat vix cæleſtibus beata vita, latiſſimoq. in univerſa imperio: ac numquam etiam moriturus, niſi immortali facinore totam humani generis conditionem immutaſſet. Nam adverſus imperioſam edictionem malè agentem, Deus Elyſio pepulit, neq. precatio perfidiis ſuis neq. malefactis fuga tum ulla erat. Donec per longiſſima temporum ſpacia, caritas incredibilis filium Dei permovit ut parentem poſteroſq. nos expiaret morte ſuâ cruentâ & publicâ; videlicet & nos admiſſum patris ceu contagium cœperat. Hâc ille viâ nobis propicius, ſpe tota relictis Elyſii non regnũ modò, ſed & cæleſtes fores recluſit, atq. cõmunis hujus exſilii (ut in conſternatâ nocturno tumultu civitate) carcerem refregit. Hâc, inquam,

inquam, viâ patriæ nos restituit, atq. etiam morbidę illius vis omnibus medicinam attulit. Quòd si filius Dei in hoc non laborasset, numquam licuisset in libertatem redire. O præclarum custodem humani generis. Animus mihi præ beneficii magnitudine præcluditur. Quem potes recordari in vita illuxisse tibi diem lætiorem, quàm quum deleto in principem scelere, remissoq. exsilio tam densa piorum civium catervâ te esse reducem acclamabit? Num beatæ vitæ jam dudum tibi est oblivione detrita cogitatio, atq. ob id rejecta, quòd calamitosa hæc sit in precio? An mox influit quod exhaurio, dum te alia post aliam stultitia fert? An undique laxatis rationis compagibus ceu navis aquam, mens sordidæ voluptatis proluviem trahit? verè dicam cum Persio: *Sambucam citius caloni aptaveris alto*. Antè Marpesiam cautem quàm te loco dimoveam tuo. Quin potius sensuum exteriores ceu foramina quædam obstruis, ut non denudes mentis tuæ medullam? Fac imagines quasdam esse voluptatis, quæ jucunditate suâ pulsant, verberantq. hominis animum, earum umbra tantùm ac species falsa est, eapropter felicioris futuri ævi memoriam, nec animo nec spe concipies? Satis hoc patuit iis qui citò perituræ huma-

næ vitæ delicias ſpeculantur, umbrarũ hunc eſſe locum, ac non niſi ſoliditatem quandam omnia præ ſe ferre, quæ tamen plana ſunt, & vix tenuiſſimũ boni ſignum habent. Quoúſq. faſcinationibus peculiari ratione nó occurres? Num illitterati minus mens viret? Vt cor tibi ſapiat velim, cui adeò ſapit palatum: ubi nunc eſt Philoſophia, rerumq. futurarum imaginàtio, quę te ſtudet ſtabilire, ut prorſus hæc dementia evertere? Nam dũ irrumpit extrinſecus in animum per ſenſus exteriores tam inſignis ſtultitia, & mens in p̃ceps fertur, & mors ad finem vitam agit.

Sed ne videar Megarenſibus eſſe ſapientior, quàm hîc res omnes ſint caducæ, quamquam perfectus videatur, humanæ vitæ tenor arguit. Et ſi ex omnibus quæ aluntur & creſcunt nihil æquè infirmum ac voluptas eſt, cur tamquam margaritæ ingens illius ſtatuis precium? Hæc ne tibi fucum néve impoſturam faciat, ſed ut planè nota ſit, virtutem cole, at noli tu illam amplecti: videbis, ut dixi modò, vel in ipſis, in quibus & natæ & altæ ſũt aliquandiu voluptates, quàm numquam ſeriò perduraverint. Alioqui meritò ſectandę eſſent voluptates, quòd ſi eas nec dies deleret, nec ætas conſumeret. Nunc autem non longius quàm in conditorium proſequuntur

ſequuntur defunctos, & quum ſimul ex terrenis conſtant, ſimul & tellus, unâ in urnâ capit. Omne namq́. quòd e terrâ eſt, terræ cedit, at quod ex ætheris miſſum eſt oris, id Cæli ſtellantia templa recipiunt. Semina virtutũ nobis dedit Deus, cæleſtia illa & ampliſſima regna inhabitans, quę ſi excoluerimus frugaliores, ex quibus (at non ſine magnâ ſpe redeundi, hîc perturbati miſerè jacemus) ceu decretis ſuis ſalubrioribus ad eadẽ nos loca reducent. Aſinus ſtramenta mavult quàm aurum, & tu niſi Paſtillo retuſior, dũ mihi ſalſitudinem nullam ineſſe cogitas, hoc fretus conſilio, fædos voluptatis odores procul ablegabis. Nam militandum nobis adverſus præſtigia & voluptates. Agenda illa res eſt animo & conſilio virili, ita feliciter decertabimus. Stirps feminea & puerilis, ut faciem prę ſe fert levem, ita quoq. mentem habet parùm firmam, nobis autem quibus vultus eſt gravis, animus ubiq́. præſens eſſe debet. Quin agimus? Pro ſalute & libertate certamen eſt. Candidâ nive pallidiores, & magis quàm cerâ liquidæ voluptates, nos aſtu ſuo ceu impetu quodam ſuperabunt? Pro his marmorea tecta relinquemus? Et dum quid ſint, cognitum ſatis eſt, amplius turbabunt? Tum ut ad eum redeamus, ad quẽ

ipſę locum pervenire nũquam poſſunt, impedient? Ejecerint nos illinc ſemel, magnum eſt; at excludere, ne his ſit facile. Vicimus quòd ſi tantũ de patriâ noſtrâ cogitaverimus. Ad aſpera ineunda quælibet nos accingamus, nam nec principis ira, nec hoſtes tantum, quantum voluptas humanis illabſa animis ſola nocet. Primùm quia in virtutis regno, voluptas non poteſt conſiſtere. Dein,

Habet hoc voluptas omnis,
Stimulis agit fruentes,
Apiumq; par volantum
Vbi grata mella fudit,
Fugit: & minus tenaci
Ferit icta corda morſu.

Indurandus animus, & virtute voluptatis blandimenta ſunt ſuperanda. Nam peſtiferum fulmen, nullum æquè, ut voluptas peſtilens: nempe nimio cõſtat empta dolore, & quamplurimis infamiæ eſt. Animadverte ut etiam ſæpe principes claros, & bonos viros, & bonos cives, nullâ unquam ignominiâ notatos, vel pudenda animi mollities, vel ſcelus aliquod ex quâvis voluptate proveniens, deturpet. Atq. hoc eſt, quod mecum magnus ille Seneca conqueritur, de Annibale tanto duce verba faciens: Vitia, ait, Annibalem hyberna ſolverunt, & indomitum illum

illum nivibus atq. Alpibus virum exterminaverunt. Fomenta Campaniæ vicit, vitiis victus est. Sic Cicero in suo Catone, cujus libri ita mihi jucunda est lectio, ut quoties legam, videar in voluptates esse animatus, impedire dixit cosilium voluptatem rationis inimicam, ac mentis perstringere oculos, nec habere ullum cum virtute commerciũ. Neq. hoc satis est dixisse, sed pergit, & vim effrenatam voluptatis ab exemplo probat. Nam Titi Flaminii fratrem Luciũ Flaminiũ e senatu a se ejectũ gloriatur; ob notandam lubidinem. Ille enim quum esset Consul in Galliâ, ut suis verbis utar, exoratus in convivio a scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis. Numquid flagitiosæ sunt & perditę voluptates, quæ cum probro privato conjungũt Imperii dedecus? Dii meliora quàm ut cupidi admodum illarum simus, quas si omnino aspernari ratione & sapientia non possumus, tamen jucundius est illis nobis carere quàm frui. Aut tu tantâ dementiâ depravatus, eas vis sequi? Lumine mentis cares, adeoq. convenit te stygios innare lacus, te nigra videre Tartara. Nam devius es & quasi sponte aberrando, virtuti bellum indixisti. Nihil est quòd amemus in hâc vitâ,

ſed virtutis eſt domare cũcti quæ pavent. Alia nobis vita virtute paranda; hæc veræ felicitatis ſumma eſt. Iam ſi omnia ad voluptates referas, illa perfectè voluptates omnes in ſe continet, dum totam vim voluptatis in animi robore & magnitudine, atq. rerum omnium humanarum cõtemptione & deſpicientiâ ponit. Argenti & auri tantum habet, quantum animus concupiſcit,

Intactis opulentior
Theſauris Arabum, & divitis Indiæ.

Laudis verò poſſidet multum, gloriæ & dignitatis plurimum, ut graviter tradidit ille Flaccus.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus:
Nec ponit, aut ſumit ſecures,
Arbitrio popularis auræ.

Corporis verò ceteras voluptates, ac ſi non eſſent, ſpernit. Ergo ſic voluptatum opulẽtiam hîc ſectaberis? Cui poteſt eſſe dubium, illam quin magno cum ſalutis tuæ detrimẽto paraveris? Projice. Audiſti, inquam, audiſti? Da temporis momentum, & intellige; peſſimè omnia inconſulta adminiſtrat temeritas. Si te voluptates juvant, veras recupera, in naufragas autem iſtas urinanteſq. quæ merentur, fac impetum. Mentem tibi ceu

sidera excantata, Lunamq. cælo blandissimè deripient, sed tu te Vlyssem præsta. Syrenum voces. Imminent certè majores, magisq per seipsas optabiles. Nam fertiliorem multò & ubertate voluptatum & varietate, pastionem virtus præbet. Hîc non ludus, non umbra est, sed veræ voluptatis corpus ipsum, ubi nemo est quem miserum dicam.

Hîc ipso tecum consumerer ævo.

Ergò unum virtutis bonum, universas anteit voluptates, & nubes ipsas cacumine superat, & dum singulas voluptates spernit, mentem hîç non gerit attonitam, nec ullius lasciviȩ admissȩ sibi conscia, pro spreta quavis seculi hujus voluptate, momentaneâ ac miserâ, æternam & solidam consequitur.

Et jam vis sponte mori, an adactus? Consultor tibi vellem esse, sedcitius Elephanti pariant, quàm talem mentem suscipias. Tormento numquam satis retineri poteris ferreo, quin te ad pristina voluptatis prȩsepia recipies. O te miserum. Cur animantibus tardior, quibus nota & familiaria gratissima sunt prȩsepia? In Cȩlo statio tua, quâ excidisti, qui habet salem qui in te est, illam usq.quaq. quȩritat. Hanc si requiram, dices, continget? Procul dubio. Quâ arte? Moriendi. Ergo, num qua est moriendi ne-

cessitas? Diomedęa. Clames licet, & mare Cęlo confundas, mortalis es. At homo sum. Et mori humanum est. Ex terrâ tibi origo, cui rerum naturæ partium eximiæ, ait Plin. propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis. Nos nascentes excipit, natos alit, semel editos sustinet, & sémper novissimè cõplexa gremio jam ab reliquâ naturâ abdicatos, tum maximè ut mater operiens. Hactenus ille. Ex quo humani generis imbecillitas perspicitur, & ꝙ nostri tandem hebetabit artus corporis, atq; moribũdos extrema necessitas ceu fictilia solvet. Ad hoc nati ut moriamur. Et te retroire an non est ęquum? Quid enim ęternus esses Terricola? Volubilitatem mundi vides, & quum minima ejus es pars, putas te tantâ firmitate factum, ut quàm diutissimè sis durabilis? Annus enim qui in se sua per vestigia labitur, & ad eadem siderum loca redit, do-

nec Deus Opt. Max. impediverit, & universum tempus dispensat, attamen ut mutat vices? Solutis nivibus, campis redeunt nova graminis principia. Boreę penetrabile frigus pellit Zephyrus, & nova æstas cursu seipsam consumens, jucundum ver proterit. Pomifer Autumnus vix dedit fruges, recurrat quin Bruma. Adeò nihil per omne tempus manet. Nonne videmus alia florere verno tempore, alia æstivo, neq. eadem autumnali quę hyberno? Temporis quàm quod datur, nec aliud, nec ultrà nemini continget vivere. Sed rerum omnium varietates prætereo usq. adeò multiplices, usu id discimus in tot herbarum milibus, quarum per singulos annos nova unaquæq. suo tempore prodit, sed non secus prodit, quàm si necessitate quâdam infallibili, cum interitu bellum suscepisse videatur. In hoc ego summopere naturam admiror, quæ sic satis rebus omnibus provisum putavit.

Iam quoq. ponderibus tuis examina an quisquam hîc stare possit solidè. Mihi non videtur, ut verum fatear. Nam terrena & fragilia nostra corpora, quũ ab principio quodam aliquamdiu increscente fluũt, eadem cũ

violentas animi noſtri cupiditates hoc pacto ſupprimit. Quid refert, ſi hoc ipſum in nobis pugnam excitat. Vtile eſt cupiditatis ſtimulum animum emollientem cogi, tum etiam, ut ſecundũ Ciceronem loquar, neceſſe eſt in vitâ eſſe aliquid extremum, & tamquam in arborum baccis terræq. frugibus, maturitate tempeſtivâ quaſi vietum & caducum. Amyris non inſanit. Nam vati cur nó das fidem? Cùm procul ab ædibus tuis ambulaveris, numquid redeundum eſt? Et quũ ſatis diu vixeris, numquid moriendum eſt? Adde quòd natura commorandi hîc diverſorium nobis, non habitandi fecit. Aſpice vel pulchros illos Reip. adminiſtratores, juſtos, prudentes, fortes & temperantes, prȩter hos tot Philoſophos ſanctiſſimos, tot Oratores clariſſimos, tot Poëtas divinos, tot Hiſtoriographos graviſſimos, videbis ne unum quidem ex omnibus ȩtatibus ſuperſtitem; & Sybillæ ȩtatem nanciſci te poſſe ſperabis? Vno verbo dicam quod futurum eſt. Precium quantumvis magnum offeres, quantumvis firma te ſervabit cuſtodia, nihil ages muneribus, & liberum habet mors ad omnia loca oſtium: Achillis vel clypeum penetrans.

Ejulas? Impatiens animus, an odio habes verba monentis? Cribro vis me divinare?

nare? Si non conjecturâ ſagaci attigero, vanus ſim. Non hydra fracto corpore firmior ita crevit in Herculem, quam te ſtulta imaginatio fatigat; pro enecta unâ, aliæ ſeptem ſubnaſcuntur. Qualicumq. fers animo, q̃ neceſſitas imperabit, ſed corporis ſeducit amor. Moriar cogitas; ut veſtis putreſcit in arcâ, putris gleba fiam, ſterquilinium arvis idoneum. Malus erit odor, & ſcarabæus cranium inhabitabit. Vera loqueris. Sed numquam quæ te avocant a ſtudio ſapientiæ abrumpes? Hæc intempeſtiva eſt cogitatio. Quando Palla inaurata indutus, & criſpulꝰ Veneri ſemper & Baccho adhærebas, annulos in digitis inaureſq. geſtabas quaſi elegantiæ materiem, tum hoc recolere te decuiſſet. Quamquam etiam nunc vide, quid ſecum voluptates portant: ubi nunc quæ tanto in precio erant voluptates? Lutulentum illud corpus quod adeò ſuperbiebat, nullos non honores ambiebat, voluptates omnes inveſtigabat, occidet; & reſolutum, vertetur in non tolerandam putredinem. Sed Philoſophiæ noſtræ ſpeculum in loco hoc poſitum, nihil adhuc imaginat,aliorſum tranſlatũ meliores dabit imagines. CONTEMPTVS CORPORIS SVI, CERTA LIBERTAS

pore abſumitur mancipium corporis eſt. Sed illud moribundum, animæ verò elementum corporis vincit, hoc ſemper vivũ permanet, ex his duobus homo ſociatus. Quæ ſi ſtatuit Deus reſcindi, ſeparatim utrumq́. quaſi collega collegam fugit, & quia omnia quæ natura creat, vetuſtate collabuntur, ac nulla unquam diſcrepantia diu conſtat, corporis molem, ceu rem depoſitam, terra recipit, animæ verò ferventius rapido igne elementũ, alta illa atq́. cæleſtia ſcandit Theatra.

Huc ſi te referat via;
Hic, dices, memini, patria eſt mihi,
Hinc ortus, hìc ſiſtam gradum.

An quoquam genitos homines niſi Cælo credere fas eſt? Nempe anima hominis præcipua pars eſt, hanc autem corporis fabricâ, Deus ceu carcere clauſit. Porro quid te ea res cruciat, quàm putida in monumento erit caro, quum pars illa nobilior exſtat incolumis? Si quis Princeps ad carcerem veniat, qui noxium reſervat, & ſtet, ut emittatur, quum prodire debebat, nonne ſtolidum dices ſi intra carcerem manſerit? Et ſi inde exeat, anormem cruciabit exeuntem quòd gravis carceris pædor non comitabitur? Poteſt quidquam eſſe abſurdius, quâm qui jure poteſt eſſe liber, ſervitutem velle ſervire? Aut illo

illo etiam homine poteſt quidquam eſſe immundius, qui negat malè olere cænū? Qui càrcer dices, quæ hîc cuſtodia? Corpus animę domus, non nulli verò eſſe hoſpitium dixerunt. At quoties cęleſtis ille vigor obſcuras declinat pręſentis vitæ ruinas, contrà caro infimis e cavernis telluris tonat, aut dolet, aut gaudet, aut metuit, aut cupit quod nocet, vel cęnoſum eſt, impeditus tum animus an liber eſſe creditur? Meâ quidem ſententiâ caro quo animam ceu cuſtodiam ſtringit nō poſſe inveniri arctius vinculum. O quàm noxia tardat, terreniq. affectus hebetant ſæpe mentis aciem, quàm nobis, inquam, hîc malè cum tam fragili corpuſculo convenit?

Putreſcat an corpus quid refert, putreſcat; magna id quies eſt, quòd ſimul tum deſinent in te eſſe affectus, vel in ipſo non numquam portu aliquem multis objicientes periculis. Sed neq. animus, dices, corpus ſocium, neq. fungoſa atq. exſiccata oſſa calor reviſet? Audi de hâc re non Alcinoi Apologum, ſed Sybillæ folium, ut Iſagogen meam finiam, ob quę dolebas modò conſolaberis. Et utinam quę procul dubio te conſolatio ſuſtentabit, eandem ſuaviſſimâ orati-

vitę istam oblectationem non solùm, sed etiam levamentum accipere humanę miserię: Videlicet si finem mortis cognoveris, non tibi beatus tantùm, quantùm heros futurus in gloriâ sempiternâ videberis. An etiam dubitas, quòd positum corpus resurget? Veniat dies modò q̃ in hoc a Deo præfinita est, veniat, inquam, melioribus qui hîc virtutē coluerũt tam desiderata tempora, resoluta q̃ erat humo, caro ornatior apparebit. Manu jam terge lacrymantia lumina, omnemq. dolorē suspende, tanquam in alienis malis: nec fungy cane tibi lacrymosum, ꝙ esca eris vermiũ. Ceu puerperio corpus nascetur novum, & si vel igne sit concrematũ, cariemq. vetustate pati ossa necesse est, nihilominus ad humanę formæ primordia redibit. Admirabilis rerũ cælestium ordo, qui conditor hujus legis, nō sine sorte voluit ut unus & par omnibus exitus, mortis per cruciamentũ esset. Docens hâc re nos sapere, & voluptatis tramitem vitare, captos ultimâ metâ pręcipitantem. Quisquis enim seculi voluptates inanes virtutis amore vicerit, ille gloriam immotalem parabit. Nam non nisi carnis propriæ contemptus regni cęlestis ostium pandit. Sed hominis cujus potestas sit vitam renovare, quæris? Cujus vitam est dare, qui adoptavit te orphanum, & pro

te mortem pertulit ſeveram, ut modò oſtendi, ſcilicet & Dei & hominis. Mõſtroſũ hoc eſt, ad juſsũ alicujus, cadavera mortua in priſtinam formam reviviſcere? At cujus illa poteſtas eſt, huic factu nihil æq. eſt facile. Certè perfectò tẽporis orbe, magno agmine e telluris cavernis ad ſe evocabit: & tu negabis reſtituere poſſe extinctos? Precor cur ſepulchralia, cur monumenta, cur patrius mos, ultimo ut defũctos honore proſequamur, atq. funera inſtauremus? Res eſt, ꝙ credimus, nõ ita dudũ pòſt alteram acturos vitam. Et ut ad id ꝙ ago quiddam aptè & congruenter dicam, orbem rerũ in ſe remeantẽ obſerva, ut deſinũt univerſa quotannis & redeunt. Serena labitur ęſtas, & pòſt Caucaſi nives, hyemalemq. vim, alter eam annus producit; aſpera hyems tanquam ſeneſcens emoritur, & eam ſeni menſes nõ dubitanter limite ſuo redintegrant. Aſtrorũ principem nox ꝑcipitat, ſed ipſam Aurora mox antevertit. Addam ꝙ arida magis quàm cornu ſtirpiũ ſemina, & arbores quas reſecamus, tamen efferũt ſe aliquando, & revireſcũt non nũquam vel tertio anno, ut circa Thebas Ægypti perſica. Sic reſurgẽtes herbæ rivis labentibus obũbrant humũ, & mox

quam ſublatũ & ſepultũ reddere qui poteſt, non valebit corpus mortuum reparare?

Moleſtum eſt, hæc apud ſtultum me loqui. Impetu videris raptus, amiſiſſe rationem atq. animi pariter omne conſiliũ. Sortẽ & uſuram voluptatis tandẽ perſolves. Nam in ventrem impetũ facis, nihilq. non moliris ut liceat eũ hoſtis tamquam partes ſequi. Quin potius perfricas frontem, & dicis te incredulum magis quàm credulũ. Non vaneſcit per ſpacium corpus hominis putrefactũ nec mortis meta eſt novissima. A ſomno ve abſq. labore nos ſolvet Deus. Hoc probant exẽpla multifaria, hoc credit veneranda Antiquitas, quæ, ut ait Cicero, in omnibu ſẽper cauſſis & debet & ſolet valere plurim hoc Vniverſitas calculis clamitat, & Conſerſionis ſuæ tenore confirmat, ut facinus ſit h nolle acquieſcere.

Finis.